

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1020

1018

1024

1014

1029

1009

1069

0969

1119

0919

0519

0019

Ende

Anfang

447

aliquis pastor, ut ulterius contra montem Synai intraret cum grege, quia publica fama erat, quod mons ille esset mons Dei et Deus habitaret in eo; idcirco nemo accedere audebat, praecipue cum aliqui intrantes non fuerint amplius visi, sed mortui manserunt intus. Ex quo patet, quod ante Moyses erat locus et mons in honore habitus, sed cum multis gentilium superstitionibus. Quidam enim dicebant, Deos montium Orchades ibi conventum habere et neminem viventem secum pati, et ab his etiam montes Orchades denominabant. Alii dicebant, quod mons ille Apollini consecratus esset, qui fuerat pastor armenti Admeti, regis Thessaliae, et Deus sapientiae factus. Alii Mopsum ibi honorabant, qui grineo deserto praeerat et post mortem responsa ex templis ibi constructis dabat. Moyses vir fidelis aliter de hoc monte sentiebat: erat enim homo sapientissimus, qui primum litteras Judaeis tradidit, a quibus Phoenices suas acceperunt et a Phoenicibus Graeci, ut dicit Eupolius philosophus. Sed et arma bellica eum invenisse affirmat et litteras Aegypti sacerdotibus tradidisse tantumque apud Aegyptios fuisse, ut eum Mercurium esse dicarent. Insuper ejus formam describit dicens, eum hominem longum fuisse, flavum, canum, prolixiore capillo ac barba, statura et facie dignitatis permaximae. Hic ergo vir insignis, cum, ut dictum, ab Aegypto exularet et in hoc loco greges pasceret, (42a) haud dubie a Spiritu sancto instigatus persaepe ad intima deserti penetrare, tempore Deo placito cum suo grege ad interiora processit ad radices montis sancti, sicut patebit. Nos ergo adhuc ista nocte foris mansimus, ingressuri cum Moyse in crastinum.

Dicta delicabilia propter manna inventum.

Vicesima secunda die, quae est festum S. Mauritii et sociorum ejus, valde mane consurreximus et oneratis bestiis stellam beatissimae virginis S. Catharinae, quae prope nos stare videbatur, secuti sumus et contra parietes montium nos circumstantium processimus. Cum autem ad parietem petrosi montis venissemus, invenimus scissuram petrae arctum ingressum praebentem, per quem et Moyses ingressus cum suo